

Moschatæ: torrefactio autem eo perducatur, dum colorem fuscum acquirat.

SPONGIÆ USTULATIO.

Spongia minutim concisa ustuletur in furno modico calore, ut pulverisari possit.

PRÆPARATIONES MINERALIUM.

TUTHIÆ PRÆPARATIO.

Tuthiam sive Cadmiam factitiam igne vehementi candefactam exingue in Aqua Rosacea: semel atque iterum id repete; postea læviga supra porphyritem ex lege artis.

Simili ratione præparentur

Squama Æris,
Lapis Calaminaris,
Lapis Hæmatites,
Magnes. &c.

ALABASTRI PRÆPARATIO.

Alabastrum mollioresque lapides simili ratione præparentur ut Oculi Cancrorum.

CRY-

CRYSTALLI MONTANÆ

PRÆPARATIO.

CrySTALLUS in foco acriter incenso candefiat, ut resoluta & quasi calcinata in frustula diffiliat: teratur in pulverem, ac lævigetur perfecte supra porphyritem, idest dum particula dentibus pressa stridorem non pariat.

Fragmenta pretiosa,

Silices Fluviatiles,

Lapis Lazuli,

& alii lapides duriores eandem præparationem postulant.

LIMATURÆ FERRI

PRÆPARATIO.

Molatur supra lapidem porphyritem usque ad perfectam lævigationem.

